DE VENTRICULI RUPTURA OBSERVATIO

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

LEGITIME OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS HORN,

LAASPHENSO WITTGENSTEINENSIS

DIE XVIII. JULII MDCCCXVII.

CUM TABULA.

BEROLINI,

TYPIS SPAETHENIANIS.

PATRI DILECTISSIMO

WILHELMO HORN

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI

HAS PRIMITIAS

PIO ANIMO DEDICAT

AUCTOR.

Prooemium.

In Anatomia sic dicta practica multa animadvertuntur, quorum explicationi omni fere tempore eo diligentius insudaverunt pathologi, quo magis ista obscuriora sunt, quam caetera omnia, quae in morboso statu sub sensus cadunt. Comparatione similium casuum per analogiam nos ad unius alteriusve rei adhuc latentis, meliorem cognitionem perventuros esse, jure, ut videtur, spes alenda est. Quare cum hac occa-

sione speciminis loco quaedam a nobis edenda essent, non alienum nobis elegisse videbamur argumentum, si observationem de ventriculi ruptura iis quae jam exstant, adjiceremus. Non fuit in animo, diagnosin atrocis morbi, quae vix constitui possit, vel causas efficientes obscuras eruere, immo potius quaenam maxime earum verisimiles sint, disquirere, casum tantum sane memorabilem sumus expositiuri. Dolendum est, de anamnesi morbi nonnulla quae exspectare possis, silentio praetermissa esse, cum nullo modo ista nota nobis reddere potuerimus. Caeterum lector beuevole has paginas aequo animo accipias etiam atque etiam rogo.

Ventriculus organon est, quod alimenta primum excipit, et corpori humano assimilat. Innumerabilis nervorum copia, qui in regione false cardiaca nominata in plexum solarem colliguntur, et illic veluti alterum cerebrum constituunt, eum circumdant, a quibus magnam partem sensibilitatis accipit. Multa eademque magna vasa et sanguifera et lymphatica, sicuti functiones ejus physiologicae, inter vitae praesertim vegetativae, organa praccipua locum ei designant primnm. Si quis ingestorum perpetuam receptionem atque per-

mutationem, eorumque varietatem, tum auctam vim vitalem tum relaxationem efficientium, vitae genus ipsum moresque aetatis nostrae probe computaverit atque perpenderit, haud sane inficiabitur, et dynamicorum et organicorum ventriculi morborum magnae copiae seminia in istis quas adduximus conditionibus latere posse et contineri. Non est quod de omnibus hisce transigamus, observationes potius quasdam, easdemque a viris eruditis institutas hic afferre haud alienum visum est, cum nimirum dignae sint istae, quae in omnium perveniant notitiam.

Foramina, subita membranarum ventriculi ruptione exorta, quibus quae continebat repente in cavum abdominis profluxerunt, quibusque necessario velociter mors adducta est, tam raro usque eo observata sunt, ut artis peritis medicae observationis hujuscemodi casus mentio haud ingrata visa sit.

Foemina, cujus nomen taceo, annos nata sex et quadraginta, validae corporis structurae, plurium liberorum mater, nunquam in morbos prona, usque ante hos sex menses graviores valetudines nullas fere experta fuit; hoc vero tempore, cum saepius obstructionibus alvi laboraret pertinacibus, pilulis drasticis, quarum mihi penitus ignota est compositio, usa est saepius; dehinc nunquam satis recte valens, semper molesto ventriculi gravante dolore vexata est. Cibis captis aut potibus haustis saliva os habuit, vomituritiones quidem haud diu morantes intermittentesque observatae sunt, vomitus verus nunquam. Digestio, quod miretur aliquis, firma, appetitus ciborum sanus, alvus naturalis, nullae quae huc spectent neque intraverunt molestiae neque offensiones. Nunquam lecto habita medici consilium rarius appetiit, qui igitur latentem morbum atrocem inopinatum haud dignoscere eumque curare potuit. Qui modo

ingravescens paullulum, modo iterum remittens conspiciebatur, ita ut nunquam penitus cessans aegrotam excruciare desierit. Sic ad diem XIX. mensis Junii perdurabat, quo inclinato ad terram capite aegrota, cum negotio cuidam operam daret, sensationem percepit, ac si in cavo abdominali fragore quodam aliquid derepente dirumperetur, fluidumque eluctaretur, quam ipsa anxia clamore significabat, verbisque demum demonstrabat accelerantibus. Accidit hoc mane hora octava cum dimidia. Nihilominus tamen vires iterum recepit, ita ut quasi nihil esset perpessa e fenestra prospiceret. At hora praeterlapsa dimidia, ingentes horrendique exorti sunt dolores, totum abdomen occupantes. Nunc domum clamore perpetuo implet aegrota, accedit febris, eademque acutissima, sitis potu sedatur nullo, pulsus frequentissimus, ita ut arteriarum ictus pleni et duri centum et quadraginta observentur in mo-

mento. Medicus celeriter adcitus neque iteratis venaesectionibus, neque largo laudani usu acerbissimos dolores lenire potest. Tristis ille et miserandus status ad diei insequentis horam matutinam quartam usque sine ulla remissione perdurabat, qua viribus exhausta, mentis vero omnino compos, obiit.

Quae morbi decursus historia magnum cogitationi spatium relinquit; insunt quae de aegrotae statu comperire potui omnia; multa tamen quae desideres ei desunt; attamen ad nostrum propositum mirabile quoddam aenigma pathologicum proponere, hoc minoris momenti videtur.

Obductione facta in pectoris cavo nihil animadversum est, quod a statu normali recederet, omnia sana atque in optimo statu inventa sunt.

Tegumentis abdominis incisis, magna fluidi turbidi copia ex abdominali cavo effluxit. Peritonaeum intestinaque tenuia

inflammationis vestigia incipientis, quam tempus breve impedivisse videtur quo minus magis progrederetur, ostenderunt. Ventriculus omnino vacuus, collapsus statuque subinflammatorio etiam paullulum rubicundus apparuit; hic spiritus vini ope servatus mihique traditus est. Quod formam ejus externam attinet, nihil contra statum sanum observari potest, quod magnitudinem parvus et corrugatus videtur, nisi hoc potius spiritus vini effectui adscribere poteris. In superficie anteriori sive superiori magis qua ad curvaturam minorem spectat, induratio ventriculi membranarum, ut videtur, animadvertitur, duos pollices longitudine, unum adaequans latitudine. Quae induratio, quam callositatem rectius denominaremus, si eam exactius examinare velis, in solius tunicae muscularis et tunicae vasculosae consistit degeneratione, quo fit, ut externe tunica externa, interne tunica intima s. villosa eam obvelent, itaque

neque externae neque intimae tunicae cum ista callositate commune est. In media ista induratione, qua densistas maxima est, in media parte cardiam inter et pylorum rotundum observatur foramen, pollicis dimidii diametro, quod omnes ventriculi tunicas perforat. Quae apertura formam sistit infundibuli, cujus interius orificium amplius, exterius arctius animadvertitur. Speciem prae se fert, ac si ulceris effectu exorta sit, quod scilicet sensim tunicas perforaverit. Natura ejus infundibiliformis evidenter lentam erosionem distingui sinit, ita ut erosione ab interiori incipiente gradatim tunicae perforatae sint, quo factum est, ut sola membrana externa jam satis attenuata ventriculi cavum clauserit, quae demum minori etiam in ventriculi tunicas agente vi necessario rupta est. Cujus rei argumenta sunt: tum fimbriae istae obductione detectae, quae aperturae margines circumdabant, serius

vero spiritus vini effectu dissolutae sunt, tum quod membrana externa, quo loco perforata est, tenuis lamellae adinstar ad foramen istud spectat. In foraminis circuitu vestigia inflammationis, corpore resecto, in conspectum venerunt, quae hodie vero omnino disparuerunt. Caeterum in omnibus ventriculi membranis nihil animadvertitur, quod a statu physiosogico recedat.

Rem nunc exactiori examini subjiciamus liceat.

Quod jam ex historia morbi et ipsa obductione elucere possit, commemoratum foramen a ventriculi ulcere duxisse videtur originem, quod ex interiori superficie ad exteriorem progrediens omnes ejus membranas corroserat. Aperturae forma rotunda, in adjecta tabula designata, natura

ipsa aperturae, praesertim interna ejus facies, qua satis patet, lentam esse praecessam erosionem, callosi margines, inflammatio foramen circumdans, morbi decursus acutissimus, ulcus adfuisse satis dilucide testantur. Adde et hoc, quod jam supra de fimbriis monuimus, quae in obductione visae, postea vero et tempore et spiritus vini effectu oculis subductae sunt; quae sine dubio a tunica externa relictae erant, quae paullatim in tenuissimam lamellam erosione reducta subito rupta est, cum ventriculi contenti vim et pondus non amplius arcere valeret, ad terram corporis inclinatione membranarum tensionem adaugente.

In cavo abdominis, ut supra commemoravimus, magna fluidi turbidi reperta est quantitas, quam nihil aliud fuisse conjicimus, nisi ventriculi contentum et pure et succo gastrico mixtum.

Peritissimus Stoll *) similem casum observavit, quo in exenteratione cadaveris foeminae statim mortuae reperta est magna quantitas seri purulenti in abdomine ex abscessu rupto intra membranas ventriculi sito, et perforatione totius structurae ejusdem. Praeterea aegrota nostra magnam aquae aliorumque fluidorum copiam, sitis immensae sedandae causa bibebat; omnia haec in cavum abdominis effluxerant.

Dolorum ingentium, quos cum iis in graviditate extrauterina apparentibus, quam medicorum veteranus, peritissimus Heim **) tam dilucide pertractat comparare possis, hanc mihi reddo rationem. Contenta e ventriculo effluxa quasi inconsuetus stimulus

---

*) vid. Stoll ratio medendi. Vol. 1. pag. 265.

**) vid. Horns Archiv für med. Erf. Jahrgang 1812. Jan. u. Febr.

lus peritonaeum et viscera irritatione sua offenserunt, quo factum est, ut inflammatio magis erysipelacea evocata sit, quae, ut verisimile est, in veram transiisset inflammationem, nisi aegrota, doloribus exhausta ingentibus, prius diem supremum obiisset.

Nunc vero hujus memorabilis morbi causas exactius dilucidare necesse esset, cum sane graves fuerint et vehementes, quae tantam organisationis laesionem efficere valerent. Quemadmodum vero in permultis morbis, ubi destructio materiae organicae observatur, causae maxima obscuritate obductae sunt, sic quoque hoc in casu multa nobis vel incerta sunt, vel nos omnino latent. Pilulas drasticas accusare possis, quarum post usum primo symptomata morbi, dolor fixus in regione ventriculi et vomituritiones inceperunt, quas autem minime accusaremus; quod

enim symptomata illa morbosa post earum administrationem intraverunt, non testari potest, ut videtur, causam quoque in iis contineri. Drastica enim, Aloe, Jalappa, Gratiola e. c., forsan adhibita, in stomacho sano haud quaquam tanta mala efficere possunt, nisi errore iis venenum quoddam admixtum fuerit. Venena acria, praecipue hydrargyrum muriaticum corrosivum *), arsenicum oxydatum album, phosphorum inflammationem, gangraenam perforationemque ventriculi efficere posse, inter omnes constat. Exempla quaedam notemus liceat. Portal **) hominem secuit arsenico mortuum, cujus ventriculus ruptus erat, inflammatus, contentum ejus in abdomen effusum. Baillou ***) post vene-

*) vid. Cirillo sur les maladies véneriennes P. III. observ. 3.

**) vid. Cours d'Anat. med. Vol. V. p. 117.

***) vid. Boneti Sepulcr. anat. libr. III, Sect. VII, observ. XVIII.

ficia stomachum multis foraminulis perforatum invenit. Buddaeus *) in puella ex nimia dosi camphorae mortua, stomachum multo fusco, tenaci muco repletum, et tunicam villosam pluribus locis erosam, eamque maculis nigris gangraenosis instructam invenit, quae certo, nisi mors celerius advenisset, ruptae foramina constituissent. La Flize **) in foemina ex uncia cali nitrici mortua ventriculum pari modo gangraenosum reperit. Post aetheris et opii abusum similia observata sunt ***). Notum est, phosphorum ventriculi membranas destruxisse, cujus rei ubique mentio fit. Amicorum meorum quidam similem casum ipse observavit. His observationibus quo-

*) vid. Blumenbachs mediz. Bibliothek.

**) vid. Gazette salutaire de Boillon 1787. Hufelands Annalen der franz. A. W. Bd. 1. S. 317.

***) vid. Histoire de la Société de Medic. Anno 1774 à Paris 1782.

Blumenbachs mediz. Bibliothek Bd. 1. S. 490.

que adnumerentur exempla, quibus vermes intestinales et ventriculum et intestina perforaverunt *). Sunt vero satis multa exempla, ubi ut in aegrota nostra, ulcera et foramina ventriculi post mortem visa sunt, nullis causis occasionalibus dilucide praegressis **). Certe inflammatio tarde incedens interno quodam statu morboso aut metastasibus exorta, praecessit, quae non resoluta in exulcerationem abiit. Multos aegrotos et ipsi in nosocomio Caritatis vidimus, ex diarrhoea chronica mortuos, ubi nulla febris inflammatoria, nulla symptomata gravioris inflammationis antecesse-

---

*) vid. Fabricius Hildanus, Cent. II. observ. 71. III. observ. 20.

Amelung in Hufelands Journal der praktischen Heilkunde. XXII. Bd. 1, St. pag. 94.

Justi in Baldingers N. Magazin. X. Bd. p. 467.

**) Morgagni de caus. et sed. morb. Epist. XXIX. Art. 14 seq. XXXVIII. Art. 19.

Lieutaud hist. anat. L. I. observ. 142 sqq.

rant; post mortem tamen intestinorum tenuium crassorumque pars maxima exulcerata reperta est, ita ut ulcera eademque impura et exesa ad triginta interdum numero, marginibus callosis, rubore livido circumdatis, in conspectum venirent.

Omnes dyscrasiae, syphilis, arthritis, scabies, praecipue scrophulosis pronae sunt ad tales morbos procreandos, pari modo affectiones metastaticae et caeterae. Portal *) duos aegrotos mercurialium et antiscorbuticorum usu sanavit, quorum totus habitus scrophulosus erat, quique vomitu chronico matutino laborabant, per os et anum multam veri puris quantitatem ejiciebant, ubi ipse, ulcera ventriculi adfuisse adseverat.

Hic etiam observatio locum habeat, quam Dr. Voelker, Chirurgus legionarius

*) vid. Cours d'Anatomie med. Vol. V. p. 199.

benevole mecum communicavit; qui vir doctissimus in permultis obductionibus infantium pauperum, qui materno lacte caruerant, pulmentoque farinaceo enutriti erant, ventriculum in regione maxime posteriori, plus minusve cardiae opposita perforatum, contentaque in abdominis cavum effusa invenit.

Plerumque infantes isti nondum ad unius anni aetatem pervenerant, excepta puella sex annos et dimidium nata.

Causam occasionalem maxime probabilem ille nimis calide assumta pulmenta putat, quae in tam tenero stomacho ut infantilis est, perpetuam irritationem, et ipsam inflammationem corrosionemque efficere potuerint. Argumentum, quod rem istam maxime confirmat, observatio est, quod foramina ista vir clar. Voelker solummodo in pauperum infantibus, pulto farinacea enutritis reperit, et locus ero-

sionis semper cardiae oppositus fuit, quam in partem deglutiti cibi ducuntur.

Sententia ista revera digna est, quae ab omnibus medicis continuatis observationibus confirmetur, quamvis enim nec diagnostica scientiae pars, nec therapeutica ex ista observatione, ut videtur, fructum habere possit, medicinae tamen forensi praecipue politiae medicae maximi momenti foret. Diagnosis hujus morbi in tam tenera aetate sane difficillima esset, cum infans mala sua vagitu tantum aliisque doloris signis exprimere possit; si tamen recte cognosceretur morbus, tantam laesionem organicam arte sanari posse, vix credibile est. Quam multi liberi per matrum imprudentiam mortui servarentur, si politia medica hujus rei rationem haberet, illisque demonstraret, quomodo recens natos optime enutrirent.

Dignae etiam sunt, quae hic accuratius dilucidentur et perpendantur istae

Baillei *) et Hunteri **) observationes de succi gastrici in ventriculi fibras post mortem effectu. Baillieus dicit: Saepius in ventriculi fundo parvum locum tenuiorem, pellucidiorem quam in statu sano ac fere dissolutum observari, quod phaenomenon a vi chemica corrosiva succi gastrici derivandam esse putat; si autem succus iste fortiori acrimonia praeditus est, tunc substantiam totam ventriculi dissolvit, ita ut contenta in abdomen effundantur, qua occasione pari modo vicina intestina corrodantur. Si quis hujuscemodi observationes alias legere velit, in libris anatomico-pathologicis, multa quae huc spectent, in-

*) vid. Baillie practical essays on medical, subjects by a member of the royal College of Physicians of London and Edinburgh S. 79.

**) Philos. Transact. vol. LXII. p. 447 et in ejus observat. on certain parts of the animal oeconomy pag. 183.

veniet *). Soemmeringius **) etiam in infante permagnam dissolutionem membranarum ventriculi cum effusione contentorum in abdominis cavum observavit.

Caeterum hujuscemodi casus rarissimi sunt, plerumque in hominibus reperiuntur, qui valetudine prospera gaudentes celeri ac subita morte eripiuntur v. c. in iis qui voluntariam mortem oppetunt. Causae hujus erosionis perforationisque in elementis succi gastrici chemicis quaerendae sunt, quae anima efflata in ventriculi tunicas vi vitali atque reactione privatas veluti acidum corrosivum agunt.

Similes effectus bilis nimis acris producere valet; viri magnae auctoritatis hac

---

*) Handbuch der path. Anatomie von Voigtel. 2ter Band S. 468.
Gardiner, Untersuchungen über die Natur thier. Körper. Leipz. 1780. p. 16.

**) vid. Voigtel a. a. O. pag. 468.

de re observationes instituerunt, quae medico forensi sane maximi momenti sunt, ne venenorum effectui temere adscribat, quod bilis acrimonia effecit. Sic Borrichius *) narrat juvenis ventriculum a bile corrosiva erosum fuisse, quae omnes effectus in venificiis observatos habuit.

Si quis observationibus, quas in hoc libello attulimus, quorumdam eruditorum de hac re scripta conferre velit vid. Cruikshank, Anatomy of the absorbing vessels pag. 113. Geoffroy in Histoire de la societé royale de Medicine ad 1780 et 81 pag. 162. Idem in memoires de la societé royale de Medicine vol. IV. n. I. Monro, observations on the crural hernie n. 3. Schobinger in epist. ad Hallerum script. vol. III. Mekel in epist. ad Haller. script. vol. III. Laporte in Journal de

*) vid. Bartholini Act. med. Hafn. vol. IV. observ. 36. pag. 115.

Medec. T. XXXVII. p. 312. Murray Abhandl. der Königl. Schwed. Akademie 1789. Sandifort observat. anat. path. L. IV. Avicenna Canon L. III. Fen. 13. Tract. 4. cap. 16. Baron in memoires presentées I. pag. 383. Hufelands Journal der praktischen Heilkunde XXII. B. 2 St. p. 35.

Curriculum vitae ex decreto gratiosae facultatis medicae Berolinensis adjectum.

Ego Ludovicus Horn, die VIII. mensis Maji a. d. MDCCXCV. Laasphae, oppidulo comitatus Wittgensteinensis natus, patre medico practico, ad annum usque decimum quintum disciplina domestica institutus, jam inde a tenera aetate, artis illius quam pater exercebat, maturo amore flagravi. Primis igitur literarum rudimen-

tis absolutis Darmstadiam adii, Gymnasii ibi florentis lectionibus usurus. Quo loco assidue latinarum nec non graecarum literaram studio incumbens artibus humanitatis ita imbutus sum, ut biennio elapso ex sententia praeceptorum ad Academiae studia altiora satis paratus judicarer. Tum itaque Giessae studium academicum inchoavi duce praesertim Wilbrandtio, cujus in Anatomia comparativa et Physiologia nec non aliorum clar. virorum praelectiones per unum annum frequentavi. Inde Berolinum profectus per semestre hibernum 1814—15 celeb. Rudolphii et Knapii de Anatomia, illust. Hufelandii et Hornii de Therapia et materia medica, clariss. Graefii de Chirurgia lectiones audivi. Sed vere insequenti bello tum erumpente a literarum cultu ad arma avocatus per octo menses ab hac literarum sede abfui. Ab initio anni 1816, recenti studio ad otia reversus, deinceps exercitationibus

clinicis cel. Hornii, perill. Hufelandii, experient. Graefii, praelectionibus clar. Bussii de ophthalmologia, exper. Bernsteinii de acologia, celeb. Mursinnae de cursu operationum nec non de arte obstetritia adfui. Absoluto tum examine rigoroso, peracto jam cursu anatomico - chirurgico nec non clinico spero fore ut hodierno die summos in utraque medicina honores adipiscar.

Theses defendendae.

1) Nullus morbus sine materie.

2) Febris puerperalis a caeteris morbis inflammatoriis haud diversus est status morbosus.

3) Omnes foeminarum morbi hystericae sunt vel originis vel complicationis.

4) Calomel minime est antiphlogisticum.

5) Bronchotomia minime est negligenda.

Explicatio tabulae.

A. Cardia ventriculi.

B. Pylorus ventriculi,

C. Fundus ventriculi.

D. Curvatura parva.

F. Curvatura magna.

G. Perforatio ventriculi.

H. Superficies interna ventriculi in circuito perforationis excisa.

a a a. tunica villosa.

b. tunica vasculosa.

c. tunica muscularis.

d. Perforatio ab interiori visa.



A.
C.
H.
c.
a.
b.
d.
c.
a.
D.
B.
G.
F.